



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Handleitung Zu leichterem Gebrauch Der Geist- und Sittlichen Unterrichten In Ewigen Wahrheiten

Calino, Cesare

Augspurg ; Graez, 1744

VD18 80280064

Feria II. Pentecostes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49389](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49389)

FERIA II.
PENTECOSTES.

1.

*Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum
unigenitum daret. Joan. 3.*

Cum Christo donavit nobis omnia, & quæ
super omnia est, donum gratiæ suæ, quam suo
nobis sanguine Christus emit. Gratia divina
omnibus Dei donis sublimior. *Mense VII. Disc.
207. pag. 469.*

2.

*Ut manifestentur opera ejus, quia in Deo
sunt facta. Joan. 3.*

In Deo fieri debet, quidquid à Deo præmiari
desideras; ipse enim testatus est, sibi fieri, quod
egenti fit: sitivi, & dedistis mihi bibere; nu-
dus fui, & cooperuistis me &c. Nihil, dum
bene agis, dandum est gloriæ tuæ, utilitative
temporali, vel commoditati tuæ; omnia Deo.
Hæc demum est virtus Christiana & meritoria,
ac unicè tibi necessaria, ut animæ quietem ser-
ves, peccata devites, mercedem æternam ac-
quiras. *Mense VII. Disc. 184. pag. 17.*

3.

3.
Qui autem facit veritatem, venit ad lucem. Joan. 3.

Plurimi errant in selectu virtutum, dum vel eligunt eas, quæ majorem sibi splendorem & nomen concilient; vel eas, quæ minori sibi labore constant; vel eas, quæ celandis vitiis suis sint opportuniore &c. Verùm, redactis semel in usum ac consuetudinem virtutibus ad salutem absolutè necessariis, inter ceteras primum eas elige, quæ naturam ac indolem, & statûs tui conditionem maximè ornet: deinde quæ maximè repugnant vitio, cui obnoxius olim esse consuevisti. *Mense VII. Disc. 186. pag. 66. à n. 5. ad fin.*

4.
Dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem. Joan. 3.

Omnis ruinæ inter homines præcipua causa est, quòd S. Spiritûs lucem admittere nolint, sed potiùs passionum suarum ductum sequantur: inde excæcati in foveam æternæ damnationis cadunt. Ne nobis idem contingat, bene attendere & scrutari debemus, quænam in nobis passio præ cæteris dominetur, & contra eam singulari studio pugnare. *Mense III. Disc. 81. pag. 439. à num. 7. ad fin.*

Non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus. Joan. 3.

Hic plurimorum gravissimus error est, ut

stulte metuant accedentes ad confessionem, nec proferre in lucem peccata sua velint, ne reprehendantur. Omnia contraria sperare debent; nam qui peccata sua soli Confessario aperit, eo ipso non venit in hominum notitiam, sed in universalis illo iudicio securus est: *Qui credit, non iudicatur.* Et tamen venit ad lucem, quia non solum ipsius poenitentis conscientia illustratur, sed etiam fama apud Confessarium augetur, qui summam inde consolatione propter peccatoris candorem & conversionem impletur. *Mense III. Disc. 87. pag. 561. à num. 6. ad num. 13.*

FERIA III.

PENTECOSTES.

Ego sum ostium: per me si quis introierit, salvabitur. Joan. 10.

Gratia Dei ideo mirabilior & pretiosior, quia prorsus gratuita est; ingressi enim per Christum in Ecclesiam sumus, priusquam de Christo quidquam intelligeremus. Tanto magis à nobis æstimanda & diligentius conservanda est. *Mense VII. Disc. 208. pag. 485.*